



21201

III

Mag. St. Dr.


P

*Starovolaini Simonis. Ologium funebre magis olim
Senatoris Thomae Simonii Savii.*

PANEG. & VITAE

Petra. Fol.

No. 1740.



ELOGIVM FVNEBRE

Magni olim Senatoris

THOMÆ ZAMOSCII

S A R I I.

Supremi Regni Poloniæ Cancellarij

Knisnensis, Rabstnensis, Socaliensis, Neosforien,

P R Æ F E C T I.

Cracouiensisq; Satrapia

P R Æ T O R I S.

Zamosci

1638

QVEMADMODVM ARBOR, QVÆ
NATVRA SVA FÆCVNDA EST
SIMILES SIBI PRODVCIT FRV-
CTVS: JTA LIBERI, BONIS PRO-
CREATI PARENTIBVS, SI LIBE-
RALIS ADSIT EDVCATIO, HAVD
FACILE A PROBIS ILLORVM MO-
RIBVS DEGENERANT.

PLATO.



21.201

III



2

Illustrissimo A dolescenti
IOANNI ZAMOSCIO

PRÆFECTO CALVSSIENSI

Supremi olim Cancellarij
THOMÆ ZAMOSCI

FILIO

MAGNI IOANNIS

NEPOTI.

SIMON STAROVOLSCIVS

Salutem, atque omnem Faustitatem, P.



Virtutes piè defuncti Parentis
tui, quas seria olim Annalium
commendatio latiùs enarra-
bit, breuiter nunc, sed neces-
sariò adumbratas, tibi Adolefcens Ill^{me}
offero: vt qua pietate in tenera ifta æta-
tula tua, cum dum viueret colebas &
venerabaris, eadem obferuantia quoq;
præclaras eius actiones hic commemo-
ratas, quotidie animo reuoluas, & dili-

genter imiteris : certocertiùs sciens,
quòd virtus in hereditatis appellationē
minimè concedat, neq; vlla propaga-
tione naturę, aut transmissione iuris, ad
successores peruenire cum opibus que-
at, sed proprio solummodò comparetur
sudore. Propterea apud veteres Maiorū
effigies, cum titulis, in prima ædiū par-
te ponebantur, vt eorum virtutes po-
steri, non tantum legerent per curiosi-
tatem, opibusq; sibi ab illis relictis, oti-
osi fruerentur, verum etiam imitaren-
tur virtutes, & rebus præclarè gestis ad-
augerent famam. Eandemq; ob causam
etiamnum Magnorum virorum sepul-
chra exornantur Epitaphijs, sepulturæ
Panegyricis, pompa funebris reliqua
imaginibus, insignijs Familiæ, vestibus
atratis, & id genus alijs rebus, ad laudē
defuncti spectantibus, vt posteriores eorū
imitatione accendantur ad gloriam, &
honestatem. Ita enim, dum audiunt ma-
gna

gna indole præditi adolescentes, Pro-
 genitorum hæredes esse debere: nihilq;
 ita probro haberi, quàm inter tot specta-
 tissimas Maiorum imagines degenerẽ
 esse: vltro legem sibi indicunt innocen-
 tiæ, continentiæ, probitatis, virtutumq;
 omnium: neq; iam solùm honestè, sed &
 gloriosè, cum præstantia aliorum lauda-
 tissimorum virorum, viuere desiderant.
 Quod, vt tu quoquẽ Adolescens Ill^{me} in-
 clyti Parentis tui exemplo facias, glo-
 riososq; illos Maiores tuos, Ioannem
 Comitem Tarnouium Proauum Pater-
 num: Constantinũ Ducem Ostrogium
 Proauum Maternum, Magnumq; Ioan-
 nem Zamoscium Auum Tuum, quibus
 maiores bello Imperatores Polonia nõ
 vidit, superare contendas, omnes ex a-
 nimo vouemus. Iam autem aliud signũ
 certius progressionis in virtute, & pro-
 fectus non est, quam Magnos Heroas
 admirari, eorumq; sæpiùs reuoluere res

gestas, qui nostræ claritudinis auctores
fuêre: Et qui sic aliquem admiratur, ci-
tò eundem ipsum admirabuntur. Ego
verò tibi eum potissimum admirandū,
hoc breui Elogio scripto suadeo, cui
natura te simillimum esse voluit. Vale
longæuus, Patriæ nostræ Phœnix, &
exple desideria bonorum.





ELOGIVM FVNEBRE.



Emo credo vestrum dubitat A. O. maiorem omnibus in rebus ab ijs requiri perfectionem, qui maioribus præ alijs ornati sunt honoribus atque dignitatibus, maioriq; inter ciues pollent auctoritate; & cum gratiam Principis, fauoremq; vulgi habent, tum ampliores reliquis possident facultates. Quos etenim Supremus ille mundi Gubernator cæteris præesse voluit, & in Magistratu aliquo positos, vices suas in gubernando populo agere iussit, eos quoque potiore indole, maioribusq; à natura dotibus cohonestauit; vt sint suæ iurisdictioni subiectis exemplo, & speculo probitatis. Atq; hinc est, quòd populus in Reges, & quosuis maximos Dynastas, tanquã in edito loco positos, & in clarissima luce versantes, oculos conijciens, omniã curiosè & diligenter inquirat, quid agant? quid dicant? quemadmodum viuant? & in illorũ animos, quasi per rimulas inspicit, omniaq; eorum arcana in apertum elicit, & famè noscenda proponit. Proinde, quo quis dignitate, opibus, aut imperio maior, eo vita melior esse debet: quòd ab eius exemplo, bonorum, malorumq; omnium torrens in totum populum, velut è perenni quodam fonte promanat: vitiaq; deriuata ab ijs, magis quàm virtutes augeantur, quasiq; contractis per manus sordibus, in dies ingrauescant. Tale enim est ingenium mortalium, magis vt aliorũ imitari vanitatem, & scelera, quàm id age-

re, quod & honestum & necessarium est, gaudeant.
Quemadmodum itaq; sol ingressus Leonis signū, ma-
ximè suos radios explicat, caloreq; vehementiori incē-
dit omnia: ita vir Nobilis ac probus, in sublimiore di-
gnitatis fastigio positus, multò maiores virtutis fru-
ct^{us} edere, multoq; clarioribus factis illuminare debet;
quo & his, qui cum eo viuunt, vitæ bonitate præluce-
at & illis, qui eum sequentur, pulcherrima probitatis
exempla relinquat. Eiusmodi autem Heroas, plurimos
se protulisse potest Sarmatia nostra absque inuidia ia-
ctare; & non maiorum solummodò ætate, fuisse viros
in Poloniâ, qui nullam aliam laborum suorum requi-
rebant mercedem, præter laudis & gloriæ; verum no-
stro quoq; sæculo infinitos reperiri, qui clarioribus fa-
ctis, vt immortalitatem consequantur, Maiorum suo-
rum famam exaugere studēt. Causa est, quòd per eam,
& absentes noscitur, & ignoti diligimur, & mortui vi-
uimus. Atq; hos inter cui Zamoscium nomen non est
cognitum? quis illi bonus non velit benè? quis è ciui-
bus, eius non condoleat Fatis? Sublatoq; nunc præpro-
perâ morte, Regni huius potentissimi Amplissimo Can-
cellario, quis est qui non ingemiscat? quis non effun-
dat lachrymas? si modò consideret, quam aduerso tem-
pore amiserit Patria, optimum ciuem; Ecclesia pium
propugnatorem, litteræ benignum patronum, subditi
promptum defensorem, Antiquitas diligentem conser-
uatorem, nouitas acerrimum depulsores, Senatus pru-
dentem Collegam, Rex sapientissimus fidelem mini-
strum. Qui gloriam, Maiorum suorum imitatione, ex
virtute, rebusq; gestis quærens, nihil vnquam turpe &
ignominiosum, vel in se, vel in alios admisit, nihil sce-
leratum cogitauit: sed famam bonam, quâ non est alia
posse.

possessio preciosior, nominisq; sui dignitatem, constan-
ti virtute, proborumq; iudicio metitus est. Quamobrē,
nulla erit tam furda posteritas, nulla tam ingrata fama,
quę non in cœlum eum debitis laudibus ferat, aut quę
non maius ab exequijs nomen illius prædicet. Quan-
doquidem vniuersum vitę illius cursum considerans,
ita multa reperiet atq; ita præclara, in omni genere lau-
dis ab eo gesta, vt indè omnium virtutū egregia capi
documēta facillè possint. Vt autem auro aut ebori faci-
lè decus addere, cum materies per se niteat, sic illustribus
viris gloriam a stilo dare qui per se clari sunt, Facient
hoc Annalium diligentissimi prudentissimiq; scripto-
res cū anni præsentis calamitates describent, Histori-
ęq; genius passim, non silebit in laudes THOMÆ ZA-
MOSCII, quotiescūq; occasio commemorandę no-
strę ætatis erit. Ego interim pro exiguitate mea, ex-
cellsam tanti Herois inidolem, vt iusta benefactori
persoluam rudi calamo vobis A. O. connotabo, virtu-
tesq; gloriā dignas, & cœlo, absq; vlla facundia enar-
rabo. Vos qui Zamoscium nostis, quiq; amāstis, ope-
ram dabit is non rogati etiam, vt non in aures tantum
sermonem infundamus, sed in animo inscribamus.

Difficilem quandam igitur A. O. & laboriosam vi-
tę rationem suscipiunt, qui relictis vtilitatibus & deli-
cijs voluptuosis, asperā virtutis viā niti constituerunt:
nulli non illis vel vltro suscipiendi labores, nulla non
pericula subeunda; omnes contemnendę voluptates,
acerba sæpè omnia perpetienda sunt; maximè istis, in
quibus videmus, virtutis quā ætatis cursum reddi ce-
leriore. Vnde & THOMAM ZAMOSCIVM ad quę-
quē olim summa natum, similiq; ad gloriam conten-
dentem viā, à virtute potius, quā tantus exstitit, non à
Patria, vti communis mos est Oratorum, laudare insti-

tuimus: neque à parentibus, aut Maioribus ipsius; & multò minus à fortunis, corporisue dotibus, quòd ferè omnia ista non sint propriè nostra. Nam facile amittuntur opes, perditur pecunia, deflorescunt honores, polluitur Nobilitas, excidunt consilia, dissuuntur amicitiae, deturpatur fama Maiorum, obscuratur mutuata claritudo à parentibus, sanitas & valetudo corrumpitur, destruiturq; forma, quamvis excellentissima: praesertim cum in vitia incauti, quæ cum tempore crescunt, ruimus, & assuetudine peccamus; nec euitamus prauitatem, ignari penitus, quòd nunquam æui senio delicta moriantur, nunquã temporibus crimē obruatur, nunquam scelus obliuione sepeliatur. Sola virtus, sapientia, & eorum vsus firma, stabiliaq; censentur; quòd hæc sola ferè, à terra, corpore, externis omnibus, ad animum, ad interna, ad æterna hominem ducant, & verè nobilem, gloriosum, atq; immortalem faciant. Et ab his tanquam perfectionibus naturæ nostræ, THOMAM ZAMOSCIVM, Cancellarium Regni Supremum, laudandum putauimus: posteaquam Patria nostra, nobismet ipsis commendanda non est; cum vicinis nostris, imò toti iam Orbi optimè constet, ad quantam natus sit in ea populus animorū alacritatem, quanta sit illis ingeniorum perspicacitas, solertia, promptitudo; quam paratas habeant à natura ad armorū tractationem manus, quàm animos magnarum rerum capaces, quomodo industriam ingentibus captis parem. Nisi fortè Russiæ, in qua Zamoscus natus est, geniū specialiter celebrare velimus, quæ gentes quondā Australes, nationesq; Romano Imperio subiectæ adorabant, cum Gottomos, Hunnos, Sarmatas, Vandalosq; ad conculcandas eorum copias, destruendamq; potentiam

emitte-

emitterent. Sed & modò, nō alia Arctoi cœli gens, armorum studio clarior est, quæq; hostem aggrediatur audentius, & sustineat fortius, vulnerū mortisq; contemptrix. Atq; hos inter, è Siradiensi, Maioris Poloniæ Satrapiâ venientes, Maiores Zamoscij nostri, in Belsensi Palatinatu olim confedère, Martiâq; strenuitate præditi, in diuersis deinceps Russiæ Prouincijs, ob insignem fortitudinis cōmendationē, latifundia acquisuère, ad vsq; tēpora nostra virtute, & rei militaris gloriâ florentes. Sed quos veluti sol minores luces, sua magnitudine Ioannes Zamoscius Suprem^o Regni Poloniæ Cancellarius, & Exercituū Dux incomparabilis, obscurauit; aut veriùs illustrauit, rebus tam in sago, quàm in toga, præclare à se gestis. | Ab hoc vitam THOMAS, de quo nobis nunc res est, ab hoc opes, ab hoc statim & dignitatem Præfecturæ Knisiniensis accepit; relictusq; duodecennalis virtutum & possessionum vnicus heres, paterno exemplo & vestigijs, ad famam & gloriam contendere à puero caput. Nam ita ferè naturâ comparatum est, vt qua in familia multi præclari, virtuteq; & rerum gestarum gloriâ, insignes viri floruerint, ex eadem, qui sunt, eorum vestigia cupidissimè persequantur. Dum igitur ille præter suæ domus decora, maternæ etiam stirpis Comitum Tarnouiorū infinita exempla præ oculis haberet, igniculos illos virtutis, quos sibi natura insecuerat, non ignauâ manu concitauit; sed per ardua assiduò tendens, in hominum lucem clarissimam produxit; eosq; in Repub. honores, vti vidistis, assecutus fuit, qui à Regibus nostris, propter magna merita, clarissimis viris deferuntur. Et quoniam nulla maior interris felicitas censetur, quàm honoribus opibusq; in vita florere, & filios habere bonos ac prudentes, quib^o

illa in morte relinquantur; ideò felicissimū hac quoq;
ex parte fuisse IOANNEM ZAMOSCIVM putamus,
quòd & honores ipse in patria supremos gesserit, &
quas honestis laboribus acquisuerat opes atq; diuiti-
as, non prodigo, aut auaro, sed prudenti & probo re-
liquerit filio. Qui memor dicti illius Socratici, quòd
*non è pecunia virtus nascitur, sed ex virtute pecunia, atq;
alia omnia bona publicè ac priuatim hominibus obueni-
unt,* ita relictis sibi à prudēti parente facultatibus vsus
est, vt ei diuitiæ essent impedimenta improbitatis, ad-
iumenta verò virtutis: quæ plerumq; malis, solent ef-
se incitamenta malorum, curarum fomenta, nutrimē-
ta voluptatum, irritamenta superbiæ, arrogationis, am-
bitionisq; materia. Has ille partim liberalitate Regū,
partim industriâ suâ, partim diuiti matrimonio, ita ad-
auxit, vt nemine è ciuibus patrię censu inferior, insignē
ex eo Reipub. operam ingruentibus tempestatib⁹ præ-
stiterit; dederitq; manu non contractâ, donaria tem-
plis, congiaria eruditis, stipendia merentibus, rudem
veteranis, eleemosynas egentibus, munera amicis. Sci-
ebat siquidem optimè, inanem Fortunæ & Nobilita-
tis magnitudinem esse, nisi liberalitas & munificentia
accederet, stultas opes & infelices, nisi pius earum ad-
minister esset. Quicquid igitur cupidi quærunt, THO-
MAS ZAMOSCIVS possidebat, quicquid superbi
optant, ille nactus fuerat. Sed ita, vt eius diuitiæ, Pie-
rati seruirent: vt eius honores Deum loquerentur. Et
enim qui diuitiarum amore non est succensus, quiq; pe-
cuniarum seruus non est sed Dominus, is non ad im-
perium earum suos moderatur affectus, sed ipse eis ad
arbitrium suum rectè & moderatè, vbi opus est, vtitur;
& quodocunq; libuerit adiumentum ex eis maximū
potest

potest habere virtutis. Quæ, cum sola hominem faciat
diuinum, luceq; suâ conspicuâ aueretur auxilium cō-
mendationis alienæ; ideò omissis illis quæ fluxa & fra-
gilia sunt, auferriq; temporis momento possunt (inter
quæ sanitas etiam, pulcritudo, & agilitas computan-
tur) de eâ ipsâ tanquam constanti & conuenienti affe-
ctione animi, ex qua nimirum proficiscuntur honestæ
voluntates, sententiæ, actiones, omnisq; recta ratio,
paulò disertius disquiramus. Et quia nemo vnquā per-
uenit ad virtutum summam iam maturus, nisi qui pu-
er seminario virtutum generosiore concretus aliquid
inclytum designarit; eapropter de pueritia THOMÆ
ZAMOSCHII, eiusq; ad virtutem institutione primò di-
cendum nobis est: tum demum quæ adolescens, aut
vir factus iam maturus gesserat; quomodoq; sese toto
vitæ suæ decursu ad mortem præparauerat, breuiter
commemorabimus; quandoquidem pro magnitu-
dine hominis, orationis magnitudinem afferre non
possumus. Vos rogo A. O. ne tædio afficiamini; sed vt
cæpistis adesse patientibus animis velétis. Vt autem sci-
atis ex bona adolescentum institutione omnes, aut cer-
tè potissimas commoditates, tam Religioni, quàm soci-
etati hominum nasci; audite quæso Suadam illam Ro-
manam, Actione in Verrem, ita ad ciues suos loquen-
tem. *Qui non rectè instituunt atq; erudiunt liberos, non
solum liberis verum etiam Reipub. faciunt iniuriam. Su-
scipiuntur enim liberi non solum nobis, sed etiam patriæ;
qui non modò nobis voluptati, sed etiam aliquando vsui
Reipub. esse possint.* Intellexit hanc doctrinam Cicero-
nis optime, qui totus Ciceronianus erat Magnus ille
Io. Zamoscius, vtq; prudens fuit Senator & boni pu-
blici amans, diligentius eam animo perpendit: & cum

D

propter

propter filij sui institutionem, viros vndequaq; literatissimos conquisiuit; (vita enim filiorum prodit institutionem parentum) tum propter eruditionem totius Polonę iuuentutis Academiam in vrbe sua crexit. Gnarus fieri non posse, vt ætas matura sit laudabilis, quæ fundamentis adolescentiæ, parum rectè sit instituta. Quemadmodum etenim arbores dum teneræ sunt, vt rectè surgant palis alligantur; equi vt frœnum pati assuescant, dum pulli sunt frœnantur; aues vt tantò citius cicures euadant, nido detrahuntur; animantes dum teneræ sunt capiuntur, vt seruire vsibus hominum discant: ad eundem sanè modum & pueri, benè viuendi artem ab incunabulis docendi sunt; quia nihil animis hominū magis adhæret, quàm id, cui a teneris consuescunt. Proinde tam in moribus, quàm in scientijs, Magnus ille Heros, filium THOMAM suum à teneris institutum habere cupiens, vt ipse Cancellarij Imperatorisq; munere fungebatur, ad vtramq; eum dignitatem honorificè olim in Repub. sustinendā, tempestiuè habilitare ac informare iusserat. Nam habent hoc pleriq; à natura egregiæ institutionis liberi, vt soleant quantum fieri possit, Maiorum suorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aspirare felicitatem. Et quia ad eiusmodi officium & dignitatem, qua præfulgebat in Patria IOANNES ZAMOSCIVS aspirare volenti, duplex requiritur Scientia, Politica videlicet & Militaris. Ad quarum priorem maximè spectat Eloquentia; ad posteriorem Geometria & Architectura. Idcirco THOMAS ZAMOSCIVS ex præscripto prudentissimi Parentis sui, totam ferè adolescentiam & iuuentutē suam, in his prædictis artibus Zamoscij insumpsit. Et posteaquam humaniorum litterarum fundamenta,

menta, sub Alberto Bodzenio Scholastico Zamoscen-
si, Præpositoq; Moscicensi, diligenti præceptore absol-
uisset, ad comparandam Eloquentiam, quod Patrem
quoq; Summum in Repub. Oratorem habuisset, felici-
ter conuersus, summæ eruditos viros ex Academia sua
delegit, eorumq; fideli opera vsus omnes ad assequen-
dum propositum finem, scientias requisitas pernouit.
Et in Historicis, Oratoribus, Poëtis, atq; tota Morali
Philosophia, Adamum Bursum Professore habuit.
In Naturali, & in Græca lingua Simonem Birconium.
In Iurisprudentia, Thomam Dresnerum, Omnes scri-
ptis egregijs editis, non in Patria solummodò, sed in
tota Europa clarissimos. Ad percipienda verò rei Mili-
taris principia, præter viros Nobiles, rei q; bellicæ peri-
tissimos, quos illi Parens ipse in cælum abiens, cum
Paulo Piascouio, Aulæ suæ Præfecto reliquerat, tam in
Geometria, quàm in reliquis Mathematicis disciplinis
(quæ parentes artium Mœchanicarum ad bellicos vsus
spectantium sunt) præceptores habuit, Valentinum
Ptarmium, & Adrianum Romanum, Noui Monasterij
Canonicum Herbipolensem. Sed in quorum omnium
labores inspectionem habebat Simon Simonides, scri-
ptor longè celeberrimus, & omni politiore litteraturâ
perpolitus. His adiuncta fuit linguarum exoticarum
cognitio. Græcæ cū primis, ob eruditionis fundamē-
ta solidiora. Germanicæ autem atq; Turcicæ, ob gen-
tis vtriusque vicinitatem. Et huius quidem, à Ioanne
Iuascouio. I. V. D. (qui eam in rem accomodatissimū
Dictionariū confecit) ob assidua cum Scythiis, eiusdē
dialecti bella; & perpetuam Sarmatarum cum domo
Otthomanica hostilitatem. Illius verò, à Hermanno
quodam Fuxio Alemanno, ob continuam nostratium

cum Germanis conuersionē; puta peregrinationes,
negotiationes, matrimonia, affinitates, cognationes,
legationes, artificia, & frequentia contra Machome-
tanos, aut Hæreticos bella, quæ sæpius communi ma-
nu cum illis gerimus. Reliquas verò Europæorum po-
pulorum linguas, sed Gallicam præcipuè atq; Italicā,
iam adultior ætate in peregrinatione didicerat. Tan-
tumq; sub prænominatis illis præceptoribus, infatia-
bili quadam discendi cupiditate ardens, in iuuenili sua
ætate profecerat, vt vir deinceps maturus & ad Remp.
admotus, expeditâ continuò ad inueniendum vtere-
tur celeritate, ad penetrandum sapiente consilio, ad re-
miniscendum tenace memoriâ. Nihilq; tam arduum
erat, quod ille non contingeret; nihil tam implicatū,
quod non resolveret; nihil tam durum, quod non e-
molliret; nihil tam difficile atq; operosum, quod non
perficeret. Habent enim hoc absoluta ingenia, primi-
q; census atq; existimationis, vt diuinis dotibus eminen-
ter prædita, penè supra humanæ fortis fastigium assur-
gant; & propinquâ cognatione cœlestem inclyti ge-
neris originem attingant. Cum autē de ingenio THO-
MÆ ZAMOSCII, singulariq; eius eruditione indices fa-
ma crebresceret, grauioresq; esse in eo quàm ætas pate-
retur cogitationes omnes passim affirmarēt, Stanislaus
Zolkieuius Tutor, Regni Polonię Exercituū interea tē-
poris Dux Campestris, optimè gnarus, quod magnos
animos paruo modulo sufficiat incitare, per epistolam
eum admonuit, vt tandem aliquando puluere Schola-
stico absterfo, prætextam emancipatus indueret, com-
pareretq; è Palladis triuio in Palæstra Bellonæ, Magni
Herois Patris sui exempla expressurus. Nam ita Philip-
pi nomen Alexandrum; ita maioris Aphricani gloria,
minore

minorem Scipionem; ita Iulij Cæsaris fama, Octavianum excitauit; ita plerosq; alios, proauorum virtus ad eos imitandum pellexit. Propriumq; hoc est alti & generosi animi munus, quod illustribus exemplis, ad illustria facta vehementer inflammatur. Quod & THOMAM ZAMOSCIVM, tam altâ indole præditum, continuo permouit cupidinemq; veræ virtutis & gloriæ, ita in eo excitauit, vt contractis extemplò paternis amicis, clientibus, veteranisq; militibus, ad Sarogrodum, non dubitarit tyro adhuc in militari disciplina, cum famosissimo illo Barbarorum Duce, Baterbeio Galga, in Podoliâ tunc incurrente, acie apertâ, ad Stanislauouiâ concurrere; profligatumq; Numinis fauore & sauciatum, cum ingenti gloria sua, è Regni prouincijs expellere. Quare, pro tantis meritis, à nobilitate Podolica in Conuentu Camenecensi honorificè exceptus, & post grates atque gratulationes factas, quia maturus videbatur rebus gerendis, Nuncius ad Comititia Varfauiensia, Prouinciæ illius, designatus fuit. Vbi Regem Sapientissimum SIGISMVNDVM III. cuius munificentia Patre adhuc procurante, Præfecturam Knisinensem puer obtinuerat, debita cum submissione veneratus, in publico Senatus confessu, pro Regia in se liberalitate, luculentâ oratione gratias egit. Vbi ab omnibus auditus, Deus bone, quam amanter à singulis ferè Proceribus domi suæ salutatus, collaudatus. adq; maiora cohortatus fuit? quam sapientissimè ad priuatum colloquium à Sapientissimo Rege euocatus? quam ab omnibus Regni ordinibus gratulationibus exceptus? quam à populo vniuerso videri expetitus? quantisq; passim acclamationibus & votis profecutus? vt Patrem in eo reuixisse omnes mirarentur, & velut è

cœlo lapsum in Reipub. commodum & ornamentum,
deprædicarent. Nec immeritò sanè. Quis enim est, quē
non virtutis species commoueat, & quodammodo
percellat? vt in quò illa vel tenui significatione appa-
ruerit, cum diligere atq; obseruare, aut si clarior atq;
illustrior fuerit, etiam in Deorum immortalium nu-
mero venerari velit? Quà laude THOMAS adeò ad
gloriam inflammatus fuit, vt æstate sequenti statim in
expeditionem contra barbaros iuerit; & in Castris ad
Cubliciam positis, sub Stanislao Zolkieuiò rerum bel-
licarum Duce peritissimo, quas ille à Patre ipsius Ma-
gno IOANNE ZAMOSCIO hauferat, disciplinam
militarem didicerit. A quo deinde bruma imminen-
te, in hyberna dimissus, incidit in Tartaros ad Czar-
nokoseniciam palantes, populantesq; agrum vicinum;
in quos statim veteranas cohortes suas immisit, & par-
tim resistentes occidit, partim fugientes in transitu Ty-
ræ demersit. Ipse verò victor & ouans Cameneciam
ingressus est. Cum interea temporis Nobilitas Prouin-
ciæ Podolicæ, annum Conuentum, ob eligendos Iu-
dices Tribunalis Iudicij Regni, ibi celebraret. Quapro-
pter memores quòd IOANNES ZAMOSCIVS, auctor
& suasor Sapientissimo ac fortissimo Regi STEPHA-
NO BATTHOREO, illorum iudiciorum institutori
fuerit, transtuleritq; sua opera iudiciorum tribunalia à
Regibus ad populum; idcirco THOMAM eius filium,
et si alias etiam ob causas, tum monstrandæ quasi gra-
titudinis ergò, ex suo Palatinatu iudicem deputarant.
In quo sanè officio, vt se dignum tanto Patre filium
monstrauerit; vt curauerit ne leges sanctissimæ fuissent
à legulis litigiosis immutatæ, aut cauillosis cauidico-
rum interpretationibus à recto detortæ, tum quomo-
do

10

do incorruptum & rectum in iudicando causas; quomodo acutum & omnia videntem, in cognoscendo controuersias; quomodo grauem & constantē, in decidendo vltimatas sese sentētias, exhibuerit: testes sunt illi qui tunc Collegæ sui fuerunt, testes qui causas proposuerunt, testis tota Respublica. Cui ille, vt eo prudētius prospicere, eoq; commodius eam suo consilio iuuare posset, cultiores Europę nationes pernoscere proposuit: quo nimirum habens iam dignitatem generis ex familia, possit etiam sibi comparare nominis celebritatem, ex rerum cognitione & prudentia. Solent enim pręstantes animę, quę se ad optimorū quorumq; formant exemplaria, quęq; glorię & sapientię dulcedine alliciuntur, in tantis & studiorum, & animi notionum inuolucris, ac obscuritate intelligentiæ (tamen si plerumq; multis itinerum difficultatibus reuocentur) nihil æquē summā ingenij cōtentione requirere, quā vt lumen aliquod literarum & canę prudentiæ, cuius splendor ceteris antecellat, ad mentem suam illustrandam nanciscantur. Qui autem peregrinationem contemnit, & vitam à pueris ita instituit, vt domi inclusus, quid foris agatur nesciat, is excellere consilio senex, si cupiat maximē, non potest. Si quidem inde menti prudentia, inde sensibus recreatio, inde moribus decor, inde litteris nitor: cū multa ipse experientia cognoueris; quę vel sola & nuda, & scientiā addunt, & iudicium limant. Excitatur etenim animus, & nescio quomodo maior seipso fit, rerum sublimium aspectu. Inflammat visa, cogitataq; sæpius aliena virtus & gloria, incurrentibus in oculos Magnis illis magnorum virorum Manibus, fortibusq; fortium ausis. Igitur peragratā Germania Superiore vniuersa, Belgas atq; Batauos

E 2

adijt,

adijt. Et ibi Archiducem Albertum Principem prudē-
tissimum, celebremq; illum rebus bello prosperè ge-
stis Ambrosium Spinolam vidit. Hic æmulū eius Mau-
ricium Nassouiū, veteris disciplinæ gloriosum instau-
ratorem, affatus est. Inde in Angliā traiecit; & perquā
humaniter, à Sapiēti illo Rege, Iacobo V. exceptus &
tractatus, bimestri ferè spacio totam insulam lustravit.
Postmodum in Gallias concessit; vbi primū Regem
Christianissimum qui nunc rebus præest, Ludouicum
XIII. veneratus est, deinde Proceres quosuis fama vir-
tutis & humanitatis celebres, ac in his Ducem Ni-
uernensem, Momorantium, Guisios & Roanum, qui
eum itidem primò famā tantum cognitum, præsen-
tem verò & decorē sese gerentem perhonorificè ha-
buerunt. In quorum familiaritate & amicitia anno in-
tegro exacto, in Italiam tandem concessit, & ibi tan-
tundem ferè, in lustrandis rebus visu & notatu dignis,
temporis insumpsit, à Pontifice Max. Paulo V. pater-
nè exceptus, & gratijs plurimis obtentis, Apostolicā
benedictione in ævum præmunitus. A Vicerege quoq;
Neapolitano, Duce Ossonensi, viro in omnibus dex-
terrino & perspicaci, Regiā planè magnificentia, & vix
solitā Iberis humanitate tractatus fuit. Similiter à Re-
bus publicis Veneta, Genuensi, atq; Lucana, honificē-
tissimè habitus erat. Vnde per Heluetiam, Noricos, Bo-
ioariam atq; Bohemiam (quòd tum Diuus olim Mat-
thias Imperator, Pragæ resideret) in Patriam redijt, Se-
renissimumq; Regem suū SIGISMUNDVM III. cu-
ius peculiaribus literis & fauore, Principibus Europæ
vniuersis commendabatur, Varisaviæ consalutavit: &
fructum peregrinationis suæ tulit, quòd collaudatus
à Sapientissimo Rege, fuerit ab illo Amplissimo Ordini
Sena-

Senatorio adscriptus, titulo Palatini Podoliæ, ob singularem ingenij, rationis, consilij, sententiæ, iudiciiq; quasi senium & maturitatem; quam in Comitij Generalibus, tunc Nuncij Terrestris è districtu Chelmenfi, officiũ gerens demonstravit; quòd non alius sit splendor ciuilibus prudentiæ fructus, quàm facere ea quæ tibi ad gloriam & nominis existimationem conducant. Eâ itaq; dignitate, vix virilẽ attingens ætatem, auctus, vehementiorẽ, vti par erat, publici Boni amorẽ concepit, ingruentibusq; in Russiæ Prouincias, cum Chano Tauricano barbaris, in Orinensibus campis, quo tota ferè præcipua Nobilitas confluxerat, cum frequentibus cohortibus suis comparuit. Et quam fortiter ibi amantèr; sese pro Repub. gesserit, quam intrepido animo hostilem impetum sustinuerit, quam generosè ferociam barbari prostrauerit, quam non reformidauerit mortem, nemo credo in patriâ est, qui nesciat. Meruerat siquidem vel solo illo conflictu, vt per omnia Annalium monumenta celebraretur, prædicareturq; à posteritate. Sed ô tempora, ô mores! qui colunt virtutẽ, & patriæ benè consultum esse volunt, loco præmij & laudis, liuori, inuidiæ, & periculo solent esse expositi! At fortes nihilominus & constantes viri, honestorum laborum ac munerum perfunctione, non ad quietem inuitantur; nec maleuolorum obgannationibus deterrentur à virtute, sed ad alia ex alijs assiduè suscipienda pericula incitantur. THOMASQ; ZAMOSCIVS pro sua generositate, contemptis simultatibus & odijs sequenti statim æstate, vt patriam pro virili iuuaret, cum instructissima legione sua, in castris ad Pauolocziam tota æstate durauit: minimèq; sperans tam citò, à Sapientissimo Rege pro suis laboribus tantam mercedẽ,

titulum Kibuiensis Palatini obtinuit. Altiori siquidem
iam tantorum amplitudo meritorum debebatur loco,
quo sublimius producta virtus clarissima, splendido-
re luce homines in sui traheret admirationem. Igitur
tam illustri honore decoratus, in quo vitam ab omni
suspicionem & macula vacuam, vivere oportet, serio co-
gitare eam cepit, quomodo mortalitatem naturæ,
perpetuam stirpis successione, quasi faciem alijs subinde
alijs porrigentibus, compensare, nomenq; Zamosciū
in filijs conseruare posset. Vt quā solā re à diuinā felici-
tate absumus, eam perennitatem mutuò nobis inuicē
tradamus. Quamobrem è domo vetustissima, rebusq;
bello & pace gloriosè gestis laudatissima, Ducum O-
strogiurum, CATHARINAM Virginem lectissimam
thori consortem sumpsit; ex quā deinceps annis sequē-
tibus, filias duas morum sanctitate matri non absimi-
les, & vnicum filium, Aui nomine appellatum, proge-
nit. Vtq; ille Mineruam & Martem, literas & bella,
libros & tela, longissimis spacijs à se distita in vnū con-
cluserat: sic ipse à vestigijs Paternis non recedens, ex
vtrōque Zamoscius, hoc est Palladis & Bellonæ alu-
mnus dici voluit. Et domi atq; in Senatu honesta cō-
sulens, publicèq; & priuatim vtilia Ecclesiæ & Reipub.
suadens, Martias nusquam occupationes dimisit. Sed
vt Nobilem iuuentutem in Aulā suā morantem ad cō-
tinua rei militaris exercitia duxit, & ipse exemplo præ-
iuit; ita & peditatum ex agris suis delectum ad armo-
rum meditationem formare iussit; ne tempestate in
Rempub. ingruente, mercenarios à vicinis populis
querere cogeretur; sed tam offensiuus, quā etiam de-
fensiuus armis instructos è subditis suis haberet. Quis
enim est qui non sentiat quanta gloriæ monumenta
parian-

pariantur armis: quamq; magnæ sæpè utilitates proueniant? Armis siquidem vim repellere, vlcisci iniurias, inimicos profligare, socios, amicosq; defendere, tueri fines, propagare demum & gloriam & imperium possumus. Quod THOMAS ZAMOSCIUS pro exploratò habens, vt Patriæ commodaret, in campis Gorczyzanensibus, contra Scythas; in campis Curocouiensibus contra rebelles Cosachos, & in Prussia contra Gustauum Regem Sueciæ, sumptu suo proprio, vt consueuerat, sese præsentauerat: inq; varijs conflictibus, vti Martis pullus erat, tam fortis militis, quàm prudentis Ducis officio functus, imperterritò pectore, quæ acciderant pericula pertulit, Et Superum fauore, incolumis ac illæsus, virtuteq; & animi magnitudine commendabilis, ad propria reuersus est. In alijs verò expeditionib⁹ bellicis, in quib⁹ ipse ob aduersam valetudinē præsens adesse non potuit, cum alios diuersos ductores, tùm illum Inclytum conculcatorem Tartarorum, Stephanum Chmielecium, cum suis cohortibus mittere ad Castra solitus fuit. Vt quem semel Patriæ amorē testatus fuerat, cum ad extremum vitæ spiritum non dimitteret; doceretq; suo exemplo ciues, non parcendum pecunijs, vbi aut necessitas Reipub. aut maiestas illius exigeret. Propterea & tempore Interregni, quemque optimum in partes prensando suas, valido cum comitatu Varfauiam venit, & ne quid detrimenti, turbulentorum hominum factionibus, vti sæpius antea accidere solebat, contra ius & fas libertas communis acciperet, diligentissimè cauit: non sumptui, non curis, non laboribus aut vigilijs, in tam afflictà valetudine sua parcens. Quæ sanè si paulò firmior in illo fuisset, certè Imperatorio quoque munere, immortalem

suo nomini gloriam comparâset. Verùm Fatis aliter
volentibus, non poterat aliud, nisi id quod prostratæ
morbo diuturno vires sufferrent, præstare. Vndè
nihilominus eum excelsi conatus gloria, atque ma-
gni & egregij facinoris immortalitas est consecuta.
Nam & tēpore inaugurationis Sereniss. Regis VLADI-
SLAI IV. cum multæ multis de causis oborirentur in-
ter Ordines Regni controuersia, ille neutri parti adhæ-
rens, vti prudens Senator, pro officio suo, maiestatem
Principis sacrosanctè sicut & antea semper coluit, a-
mauit, obseruauit, atque tuebatur. Ciuum commo-
da atq; libertatem defendebat: iura, leges, incolumi-
tatemq; Reipub. custodiebat: quod verum ac rectum
erat prudenter sentiebat, liberè dicebat: & quid? nisi
Patrem repræsentabat. qui similiter Interregno supe-
riore Publici Boni custos à totâ Repub. constitutus,
curabat quàm diligentissimè, vt facta tecta æuiternū
durare posset. Magnum ædepol est vinculum animi
nostri Patria, quæ nostra omnia, nosq; ipsos suo amo-
re velut oppignoratos habet. Ac propterea nihil est o-
mninò tam arduum, quin id eius charitas exuperet;
apud eos viros præsertim, qui præclarâ familiâ geniti,
atq; optima in Repub. educati, suæ ciuitatis tempera-
tionem institutaq; adamauerunt. Quæ, vt eo melius
tueri & conseruare THOMAS ZAMOSCIVS pos-
set, curauit paterno exemplo Reipub. negotia tracta-
re, missisq; quos possidebat Palatini nomine honori-
bus, Procancellarij primùm, vnà cum Prætura Craco-
uiensi; deindè auctus Socaliensi, Neoforensi, Rabsti-
nensiq; Præfecturis, Supremi Cancellarij munere de-
fungi. Hic mihi in tanta non vulgarium laudum oc-
currentium copia, immorandum foret A. O. vt eas si
non

non exornarem, saltem aliqua ex parte recenserem, sed tam arctâ temporis angustia, dicendiq; exilitate premor, vt eas effari omninò nequeam. Vos qui in Patriâ peregrini non estis, optimè ipsi nostis, quam ille sanctè, quàm castè, quàm prudentè ac innocentissimè in isto munere sese gesserit: quàm fideliter Regi Serenissimo, quàm libenter Ecclesiæ Dei, quàm amanter Reip. & amicis inseruierit. Vt publicas leges Patriæ, vt priuata iura ciuium, vt fœdera cum vicinis populis, pacta conuenta cum socijs; vt antiquas Poloniæ consuetudines, & priscam morum sanctitatem custodierit, vt manus ab alieno continentes habuerit, vt munera, in tam quæstuoso munere nulla penitus acceperit; testes, mihi quotquot suis in negotijs ad eum accesserāt, testis conscientia ipsius. Quam ille ita, in rebus etiam licitis, puram & castam, nullisq; fordibus cupiditatis adpersam habere voluit, vt cum Princeps Elector Brādeburgicus, pro iurium suorum in Ducatum Prussiæ, confirmatione Regiâ, mille aureorū munus honorarium misisset, extemplò pecuniam illam, ne quidem visam à se, ad altare Beatæ Virginis Czenstochouiæ obtulerit, protestatus, ne vllum teruntium, toto vitæ suæ tempore, ex munere Cancellarij, se à quopiam sumere velle. Et tum quoq; statim, ne ex alieno largus videretur in Diuam, eiusq; Mystas religiosos, de proprio ære, sacro illi loco censum perpetuū attribuit, & vt erat in Virgine deuotus, certis temporibus ante sacrâ eius Imaginē solemnia decantari voluit. Cuius exemplar vbiq; secum portauit, & magna cum reuerentia ad lectum appensum habuit; sicut & Christi crucifixi imaginem. Semper enim ille iudicem ac spectatorem, omnium suarum actionum Deum cogitauit, semper

Virginem Deiparam in auxilium inuocauit. Cuius festum Assumptionis, totâ vitâ ritu solemniore quàm reliquas festiuitates celebrabat; eo quòd cognatione Diuum Hyacinthum Odrouonzium, Diuumq; Stanislaum Kostkam, attingeret; quorum vterque die sacro Coronationis Virginis Mariæ, ad sumendâ coronam in cœlum euolasset. Lætus igitur tali tamq; sancta ac felici cognatione, à quâ Virginem colere didicit, ita eorum exemplo ipsam, ita eius Natum in corde gessit, vt nihil nisi eius honorem, tam in sago, quàm in toga sectaretur. Eius cultores ipforum exemplo religiosè coleret. Eius templa veneretur, ditaret, ornaret, Festa omnia deuotissimè celebraret. Ceremonias Ecclesiasticas accuratissimè nosset & obseruaret. Preces horarias Sacerdotum more quotidie recitaret. Oraret pro Defunctis. Expiaret maculas conscientie frequenter; Sacrosanctisq; mysterijs Corporis Dominici, aduersus vitia sese præmuniret: nec quidquam sanè ommitteret, quòd vel ad cultum Numinis augendum, vel ad subleuandam egenorum miseriam spectaret. Vnde & mortem, quàm semper præ oculis habuit, minimè exhorruit, quòd verâ virtutis viâ pergens, spem suam in misericordia Diuina repositam haberet. Quapropter rebus suis ritè dispositis Sexto Idus Ianuarij Supremi Imperatoris iussu, è teterrimo corporis carcere ad libertatem, ab exilio ad patriam, à perpetuis languoribus ad optimam & perennem valetudinem commigravit. Quid est enim aliud piorum hominum mors, quàm ærumnarum finis, & vitæ principium melioris? Ergò non video causam A. O. cur illius mortem, qui omnes vitæ actus felicissimè peregerit, tam moleste vobis ferendam putetis? cur lachrymis & fletu potius, quàm

iu-

K. 14

iucundâ virtutis eius recordatione, gratâq; beneficio
rum commemoratione cohonestare funus eius velitis
Nam quod medio è cursu, & vix quadragesimum
quartum annum agentem, abreptum doleatis, scien-
dum est non infinitum nobis quoddam viuendi cur-
riculum propositum esse, sed suis & cancellis & metis
terminatum; quibus expletis, promissa à Deo præmia
consequimur, proq; imbecilli hac mortalitate, immor-
talem ac felicissimam vitam adipiscimur; ad quam, si
saperemus, omni conatu deberem⁹ ipsi vel vtrò etiam
properare. Cuius enim vitæ virtus comes & socia est,
eius mortalitatem gloria excipit immortalis. Quam-
uis igitur amiserimus talem Ciuem atq; Senatorem,
qualem semper priuatim & publicè desideraturi su-
mus, gaudere tamen, quàm ingemiscere, & congra-
tulari illi potius, quamplorare debemus, quòd peri-
culoso vitæ istius enauigato mari, portum iam teneat
securum, nec timeat amplius tempestates & misérias
huius mundi, sed fruatur illâ solidâ & æternâ
gloriâ, quam Deus Opt. Maximus pro-
posuit ijs, qui rectè, cum fide &
pietate vixerunt.

D I X I.

In Officina Typographica Academiae
Zamosc: Imprimebat Andreas
Iástrzëbski, Anno Domini,
M. DC. XXXVIII.



